



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati milij  
Witels.  
¶ mas. er. q.  
¶ linea. 4. q.  
¶ Mc. Joha: Leijob.  
anno 1621.

COLLEGII  
DE SACRAMENTIS  
Disputatio XIIIX.

D.E  
COENA DOMINI  
ORTHODOXAM SENTEN-  
tiam ~~na~~ononolaononos contra Cal-  
vinianos exhibens.

Quam  
Annuente JEHOVA  
SUB PRÆSIDIO  
Dn. BALTHASARIS MEISNERI  
S.S. Theol. D. & P.P. Magnifici p.t.  
RECTORIS.

In privato Collegio examinandam  
proponit  
JOHANNES ZEIDLERUS  
Lübecensis.

Habebitur ad d. 17. Xbris, horis pomeridianis  
in minori Auditorio.



WITTEBERGÆ,  
Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,  
ANNO clo 15 c XX.



V I R O

Reverendo, Clarissimo Excellentissimo  
Dn: MATTHIÆ CRUMTINGERO  
Ecclesiæ Cathedralis, quæ est L U B E C A  
Pastori vigilantissimo.

N E C N O N

Politissimis, Pietate & virtute Instru-  
ctissimis V I R I S

Dn. PAUL O Wibbecking/ }  
Dn. JOHANNI Binhagen/ } Junior:  
Dn. HENRICO Ottendorpff/

Patriciis Lubecensibus Honoratis

Dn, Patronis & Fautoribus suis  
multis nominibus venerandis,  
Exercitium hoc Theologicum  
inscribit

JOHANNES ZEIDLERUS  
Auctor & Resp.

Siū Θεῶ.

 *Aput omnium controversiarum, quae agitantur inter Calvinianos, & Lutheranæ religionis Theologos, Sacra Domini Cœna est. Infelix vero hujus certaminis Sacramentarij telam primum exorsus est Andreas Bodenstein Carolostadius, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communis, qui controversiam de Cœna Domini tantum odio Lutheri movit, referente Philippo in Epist: ad Mycon. Carolostadium insecurus Zwinglius, qui multo ante, quam Carolostadius disputationem hanc de Cœna Domini movere cepisset, dogma novum animo sordidus, ac tandem errorum suum his verbis prodidit: CHRISTUS, inquit, Hoc est corpus meum: id est panis significat corpus meum. Post Zwinglium excitavit Sathan Oecolampodium, Crypto-Calvinianos, hodieque ad unum omnes Calvinianos, qui tanquam jurati hostes sacratissimum nostræ salutis organum miris modis labefactare allaborant. Capita vero dissensionum præcipue hæc sunt: 1. De simplici nativo, & proprio verborum Cœnae Dominicæ sensu. 2. De reali substantialis corporis Christi presentia in administratione Cœnae. 3. De oralis corporis Christi mandatione, & sanguinis bibitione. 4. De indignorum seu infidelium mandatione, & bibitione. De quibus ordine sed breviter Orthodoxam sententiam nāgōnōlasimū probabimus.*

### POSITIO I.

- I. Simplex, proprius, & nativus sensus verborum Institutionis Cœnae Dominicæ est retinendus, & non in sensum tropicum torqueundus.

¶

II. Hic

I I. Hic ante omnia tenendum, à nobis non tale tō  
pr̄tō urgeri, cuius nulla dari possit Alḡoia. Sed id pro-  
prie inculcatum volumus, talem sensum aut interpreta-  
tionem verborum Institutionis, neḡ, ponendam, neq̄ con-  
cedendam esse quæ à propria & nativa singulorum verbo-  
rum significatu aberret: quæq; verbis Servatoris alienū  
prorsus affingat sensum, quam verba ipsa admittant; quæ  
deniq; promissionem Servatoris de præsentia & exhibi-  
tione corporis & sanguinis sui, in verbis Testamenti sui  
expressam, enervet.

III. Deinde accurate distinguendum est inter ver-  
ba, quæ in Institutione exprimunt ὡραῖον Christi sive fa-  
cta, & quæ λεχένται Christi: circa illa [Accepit pa-  
nem, gratias egit, fregit &c.] non illud controvertitur  
an sint proprie, & secundum literā accipienda; nam neḡ  
Calviniāni p̄ntōv hoc loco negabunt: sed de dictis dispu-  
tatio superest: Accipite, Comedite, hoc est corpus  
meum: Accipite, bibite, Hoc est poculum Nov.  
Test. in meo sanguine. Pro horum verborum Cœnæ  
genuina proprietate stamus, sequentibus muniti funda-  
mentis.

IV. i. Ob Articulorum fidei proprietatem.  
Verba enim ē quibus, articuli alicujus explicatio primò  
desumenda, seu ē norma, mensura, & sede propria, ea  
sunt proprie, perspicue sine Tropis sensum involventibus  
intelligenda. Alias enim ob scripture imperfectionem, fi-  
des nostra niteretur opinionibus humanis, alias Theologia  
allegorica esset argumentativa quod absurdum. Confer  
Psal. 119, 105. Ephes. 4, 18. 2. Pet. 1, 19. Hieronymus  
dicit: Ex solis allegoriis & figuris non possunt  
constitui, & comprobari dogmata fidei. Iam vero  
jedet

sedes propria norma & mensura dogmatis de sacra Cœna  
est Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. 23. 24. Luc. 22, 19. 20.  
I. Cor. 11, 23. 24. 25. Ergo istorum locorum verba substancialia propriè, perspicue, sine Tropis sensum involventibus sunt intelligenda.

V. 2. Ob unanimem Evangelistarum & Apostoli Pauli consensum. Ita colligimus: Interpretatio quam unanimis Evangelistarum & Apostoli Pauli consensus approbat, ea demum certissima. At propriam & literalem interpretationem approbat Matthæus, qui solus ex reliquis omnibus, qui eam describunt prima institutioni interfuit, primum sine tropo descripsit: eum sequi reliqui, semper sensum eundem, transpositi, vel additis, quibusdam, vocabulis, retinentes. Imo si Tropus inesset, vel unus Apostolus Paulus annotasset, quian nihil subterfugit, quo minus annunciat nobis omne Consilium Dei Actor. 20, 27. Scriptores enim Canonicij idem dogma diversis locis repetunt ut tuti illi sensui nos concedamus: sin autem obscurius quid, & figuratè alicubi proponatur, id alibi scripture, eandem tractans materialiter planis exponit verbis, ut ex collationibus verus illorum sensus colligatur. Ergo.

VI. 3. Ob Testamenti naturam & qualitatem. Hoc argumentum gentium ille Doctor nobis suppeditat Gal. 3, 15. verba Apostoli hæc sunt: Fratres [ secundum hominem dico, ] hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo rejicit, aut addit aliquid. Hanc eandem sententiam eleganter Augustinus aliis verbis protulit: Valent, inquit, verba hominis mortui jacentis, sine sensu in monumento, sedet Christus in cœlo, & contradicitur ejus

testamento? Non sine testamento nos dimisit Pa-  
ter. Qui facit testamentum, vivit in æternum, au-  
dit voces nostras, agnoscit suam, legamus, quid  
litigamus? ubi inventa fuerit ipsa hæreditas, i-  
psam teneatnus. Quemadmodum enim, ut Magnus  
Lutherus loquitur, Deus in prima creatione, non  
vocabula, sed res locutus est: ita Christus, qui est  
splendor glorie, & expressa imago substantiae Patris He-  
br. i. v. 3. dicens: Hoc est corpus meum, in nostra re-  
creatione, Sacramentum, & testamentum verum con-  
didit, non verbis, sed rebus ipsis realissime constans. Hinc  
Argumentamur: Quicquid solenniter sub forma Testa-  
menti proponitur, ejus verba simpliciter accipienda sunt.  
Atqui Christus sacra Cœnam sub forma testamenti so-  
lenniter proposuit & instituit. Ergo verba Christi sim-  
pliciter sunt accipienda.

VII. 4. Ob temporis conditionem reiq; in-  
stitutæ novitatem. Servator enim jam jam morti vi-  
cinus novum Sacramentum hactenus inauditum insti-  
tuebat 1. Cor. ii. v. 23. Et in eo summa bona conferebat:  
verisimile ergo haut est ipsum futurarum altercationum  
probè concium, data opera ejusmodi obscuris dictionis  
genere. & quidem in definiendo mysterio salutem Eccle-  
siæ, vel maxime concernente, uti: ut vix divinando lice-  
at assequi, quæ propria & genuina verborum Testatoris  
esset sententia. Ergo credamus oportet, & perspicue, pro-  
prieq; ipsum loqui voluisse, & pro sua summa, & inenar-  
rabilis sapientia locutum esse.

LIX. 5. Ob Adversariorum discrepantiam &  
contradictionem. Adversarij à vera CHRISTI

sen-

sententia aberrantes, & tropum in verbis Cœnæ Domini-  
nicæ constituentes, ita variant inque diversas abeunt  
partes, ut in qua voce Tropus sit collocandus, nondum  
inter illos constet. Quod autem multipliciter exponitur  
communiter ignoratur. Imo simplicis & aperti sermo-  
nis simplicem interpretationem, non multiplicem esse o-  
portet. Certe si chartæ angustia permitteret, longum  
discrepantium sententiarum catalogum recensere non  
esset difficile. Ult autem compendium faciam, sisto ipsum  
Calvinum, varios apud Adversarios Troporum esse or-  
dines, variasq; verborum Cœnæ explicationes, faten-  
tem. Huic adjungo, Crellium & Bezam sibi invicem  
contradicentes. Crellius negat Tropum revera, in-  
Copula, Est, Consistere lib. 2. Logices cap. 8. Beza ve-  
ro affirmat in Altera part: Respon: Et quæst: de Sacra-  
ment: pag. 131. quo cum etiam consentit Polanus. Con-  
tradiccio palpabilis uti Celeberrimus Theologus Dn. D:  
Grawerus sanctæ memorie in Absurdis Calvinisticis an-  
notavit. Quare cum B. Luthero Tom. 3. Ienensi pag.  
489. dicimus: DOMINE JESU CHRISTE con-  
troversia, in mundo agitata fuit super verbis Te-  
stamenti tui, quæ quidam aliter intelligunt, quam  
sonant, verum quoniam me nihil certi docent,  
sed omnia perturbant, & incerta reddunt, fidei.  
& conscientiam meam ipsorum glossis comit-  
tere non potui, &c. Proinde sic arguimus: Doctri-  
na Spiritus Sancti sibi est similis, non à se discrepat. Do-  
ctrina Calvinianorum de sacra Domini Cœna non est sibi  
similis. Ergo non est Spiritus S. Porro: Nemo sentire pot-  
est cum illis, qui ipse met inter se multipliciter dissentunt.

At Calviniani multipliciter inter se dissentunt. Ergo nemo pius cum Calvinianis sentire potest.

III.

IX. CHRISTUS substantia sui corporis non tantum in cœlo nunc est, verum etiam in Cœna Domini, ubicunq; illa, his in terris juxta instituentis ordinationem celebratur, vere, substantialiter, & realiter adest.

X. Præsentiam corporis CHRISTI in Cœna verbis quidē protestantur Calviniani sere omnes [Ursin. Vol. I. Oper. Theolog. fol. 402. Beza in Resp. I. ad acta Colloquij Mompelg. p. 38. 41. 53.] corde & ore credere & confiteri CHRISTI corpus & sanguinem in Cœna non solum esse, sed etiam vere edi & bibi: sed Calvinianorum protestationem, factō esse contrarium jam dudum fidelis Calvini discipulus Beza prodidit, inquiens: tam procul abest CHRISTI corpus à loco, in quo Cœnam Domini celebramus, quam abest cœlum à terra. [Beza I. part. Resp. ad Acta Colloq. Mompel. p. 48. Edit. post.] Sed Beza dico, omnes dixi. Nos autem Calvinianorum dogma insidiosum hoc, & scripturis divinis è diametro contrarium deserentes, positionem nostram hū rationum momentis stabilitam damus.

XI. I. Ob verborum CHRISTI instituentis evidētiā & perspicuitatē. Sic enim concludimus: Quilibet scripturæ losus intelligendus est ut verba sonantur, vel eo ipso in loco addita sit Διάγονα vel alio in loco, ubi res eadem tractatur, vel exponitur, vel deniq; tñ-

tab

τὸν in articulum aliquem fidei manifesta, & inevitabilis  
contradictione impingat: valet enim hic regula Petri:  
Omnis prophetia scripturæ non est privatæ in-  
terpretationis 2. Petri 1. v. 20. At qui verba institutionis  
adeo clara sunt, ut quilibet ea intelligat. Cum enim  
CHRISTUS de pane benedicto, quem discipulus porrige-  
bat, pronunciat: Hoc est corpus meum quod pro  
vobis traditur: Et de calice seu vino: Hic est san-  
guis meus Novi Testamenti, qui pro vobis effun-  
ditur in remissionem peccatorum: Hic nemo non  
videt, CHRISTO de vero & naturali pane, & vi-  
no, deque vero & naturali suo corpore, quod traditur  
erat, deg̃ vero & Essentiali sanguine, quem in cruce pro-  
fusus erat, sermonem esse. Ergo verum est, quod in sacra  
Cœna mediante pane, sumamus verum & essentiale cor-  
pus CHRISTI, item mediante vino, verum & essentia-  
lem sanguinem CHRISTI.

XII. 2. Ob personæ instituentis potentiam &  
dignitatem. Hic est verus DEUS & verus homo,  
in unitate personæ inseparabilis, qui superabundanter  
potest plura, quam nos capimus & intelligimus. In quo  
omnes thesauri sapientiæ sunt reconditi: Col. 2,3. Cujus  
verba prolatione citius res sunt Psal. 33,9. quippe qui di-  
xit & facta sunt. Ipse enim ipsa vera omnipotentia, &  
omnipotens veritas. Joh. 14,6. Quem in cœlos assumptū,  
& ad dextram Dei sedentem & plenissimam divinæ glo-  
riæ, & majestatis possessionem obtinentem credimus &  
confitemur Matth. 28, 18. Marc. 16,19. Imo qui mille  
modos, mille vias novit sua pronunciata verificandi. Ergo  
etiam præsentiam suam nobis facile exhibere potest. Ubi  
tamen non argumentamur de potestate absoluta, sed cum

voluntate in verbo divino, revelata, conjuncta. Pie & re-  
cte Fulgentius, nulla ait, est in promissis ipsius fal-  
sitas, quia nulla est in faciendis difficultas, aut im-  
possibilitas.

XIII. 3. Ob Evangelistarum & Apostoli Pau-  
li conformitatem: Nam Evangelista Matthæus saeræ  
Cœnæ testis ocularis scire potuit, quid de sacratissimo epu-  
lo Dominus præceperit, & quid Discipuli crediderint.  
Quocum etiam Marcus & Lucas concordant, unanimi-  
ter scribentes: Substantiale C H R I S T I corpus, sub-  
stantiale mq; sanguinem adesse in actione Eucha-  
ristiæ, in his terris administratæ, Ergo simpliciter il-  
lud est credendum & non scrupulosius rimandum. Cum  
tribus his Evangelistis convenit D. Paulus, qui hanc doctri-  
nam non ab hominibus hausit, sed à Domino ipso accepit  
1. Cor. 11,23. Is sic docet suos Corinthios 1. Cor. 10,16.  
Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne  
communicatio sanguinis C H R I S T I est? Panis  
quem frangimus, nonne communicatio corporis  
C H R I S T I est? Hinc ita inferimus: Cujus panis est  
communicatio, illud pani est presentissimum. At qui panis  
est communicatio corporis Christi. Ergo.

XIV. 4. Ob Veteris & Novi Testamenti diver-  
sitatem. Nam Cœna Domini non est futurorū bonorum,  
neg̃ umbrarum sive significationum, sed habet ipsum cor-  
pus, ipsam substantiam, ipsam expressam imaginem. Ad  
quod discrimin ipse Christus digitum intendit, inquiens:  
Hoc poculum novum Testamentum, per sanguineum meum Luc. 22,20. ita argumentamur: Si Cœna  
Domini non est umbra futurorum bonorum, sed habet i-  
psum corpus, ipsam substantiam, ipsam expressam imagi-  
nem.

nem, & poculū hoc est Novi Testamenti in sanguine Christi hoc est per & propter sanguinem, quod poculum pro nobis effunditur, puta quia sacramentaliter sibi habet unitū Christi sanguinē pro nobis effusum, utiq; non nuda figura corporis & sanguinis Christi in Cœna proponitur, sed ipsa substantia. Ratio consecutionis constat à discrimine Veteris & Novi Testamenti Col. 2,17. Heb. 10,1. At prius est, ut patet e verbis Christi: Hoc est sanguis meus, sanguis non veteris Testamenti antiquati, sed Novi, olim per Prophetas promissi, nunc sancti, & confirmati. Ergo non nuda figura corporis & sanguinis Christi in Cœna proponitur, sed ipsa substantia.

### III.

XV. Verum & essentiale Christi corpus ac sanguinem in usu sacræ Cœnæ in his terris non tantum spiritualiter, sed etiam ore edendo & bibendo verè, ac realiter accipimus.

XVI. Hæc est summa veræ ac sincere de Sacra Domini Cœna doctrina, quam Lutherus olim, omnesq; ejus discipuli, adversus gentem Calvinianam constanter & intrepide propugnarunt, hodieq; propugnant.

XVII. Ante omnia autem notandum venit, vocabulum manducationis in præsenti negotio triplici sensu accipi; nempe de naturali, Sacramentali, & spirituali manducazione. Naturalis manducatio est actio, qua proprie & per se solus panis sine corpore comeditur. Sacramentalis manducatio, qua in unico, & indivulso Sacramento, vi institutionis CHRISTI, corpus CHRISTI, mediante pane ore manducatur mystice per

&

& propter unionem sacramentalem. Spiritualis man-  
ducatio fide duntaxat per agitur, propriè est partici-  
pation meriti Christi, & reliquorum bonorum spirituali-  
um. Atq; hæc etiam extra Sacramentum quovis tempore  
peragi potest.

XIX. His ita præmissis de Symbolis ore percipiendis  
nihil hic quærimus: nec de manducatione spirituali, quā  
in credentibus semper agnoscimus, neq; de modo percipiendis  
cœlestia quicquam prætribimus, quem supercœlestem  
aperte fatemur: Sed istud in quæstionem venit: Utrum  
in actione Cœnæ Dominicæ secundum institutio-  
nem CHRISTI, oris instrumento una cum pane  
Eucharistico, licet non simili modo, corpus Chri-  
sti manducemus. Id quod Calviniani negant: Nos ve-  
ro orthodoxe affirmamus:

XIX. I. Ob verborum institutionis CHRISTI  
nativam & propriam significationem. In præceden-  
tibus enim evicimus verba institutionis non figurata, non  
metonymice, vel tropicè esse intelligenda; sed propriè ut so-  
nant, id quod hoc in loco repetendū erat. Iubentur enim  
Discipuli Christi Hoc corpus edere, & ex hoc poculo  
bibere, ut diserte Evangelistæ enunciant: Bibite ex Hoc  
[poculo] omnes, & biberunt ex eo omnes. Iam ve-  
ro constat edere & bibere secundū significatum eorum pro-  
prium, genuinum, & vernaculum nihil aliud denotari,  
quam actionem illam, qua cibum & potum ore  
corporeo percipimus. Unde colligimus: Quicquid  
Christus in sacra Cœna edi & bibi verbis propriè signifi-  
cantibus jussit, id ore corporeo est percipiendum. At qui  
corpus & sanguinem suum Christus in sacra Cœna edi, &  
bibi verbis propriè significantibus jussit. Ergo corpus &  
san-

sanguis Christi in sacra Cœna ore corporeo manducatur  
& bibitur.

XX. 2. Ob Organis ab ipso CHRISTO factam determinationem. Christus enim panem exhibens discipulis dixit: Accipite manducate: Hoc est corpus meum: Sic vinum discipulis porrigenus dixit: Accipite bibite: Hic est sanguis meus Novi Testamenti: Hic expresse non duo distincta organa manducationis & bibitionis, unum oris, quo panis & vinum, alterum fidei, quo corpus & sanguis Christi percipiatur: sed unum ratione utriusq; partis organum, nempe os corporis, definit. Argumentum sit tale: Quo organo Christus jubet accipere panem & vinum, eodem etiam organo jubet accipere suum corpus & sanguinem. At qui panem & vinum jubet accipere organo corporeo, ore scilicet, Ergo etiam corpus & sanguinem suum jubet accipere organo corporeo, ridelicet ore.

XXI. 3. Ob Apostoli Pauli assertionem. Verba Apostoli hæc sunt: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? 1. Cor. 10. v. 16. Hinc ita colligimus: Panis Eucharisticus fractus & distributus est nouovice corporis Christi. Iam vero os accipit fractum & distributum panem. Ergo os accipit in Sacramento corpus & sanguinem Christi.

XXII. 4. Ob manducationis Sacramentalis & Spiritualis discrimen. Multiplex enim Spiritualis & Sacramentalis distinctio ex scripturis peti potest. 1. Sacramentalis manducatio fit mediante pane, & Sacramentalis bibitio fit mediante vino: Spiritualis fit absq; exter-

notæ

ne tali medio. 2. Sacramentalis fit ore ; Spiritualis fit fide.  
3. Sacramentalis sine spirituali nunquam fructuosa esse  
potest : spiritualis sine Sacramentali esse potest. 4. Sacra-  
mental is respicit Christi corpus & sanguinem quoad sub-  
stantiam : Spiritualis vero Christum quoad beneficia, &  
fructus, quae fide apprehenduntur. Ex quibus apertissimum  
est & Spiritualis & Sacramentalis mandationis distinc-  
tio esse maximum, adeo, ut pro illa sumi aut intelligi ne-  
quaquam possit. Hisce præmissis argumentor : Eam oportet  
esse significationem verborum Edite & bibite in sa-  
cra Domini Cœna, per quam mandatio & bibitio Sa-  
cramentalis à mandatione & bibitione spirituali di-  
stinguatur. Ratio consequentia ex ante positis pendet.  
Iam vero significatio metaphorica verborum edite, &  
bibite non distinguit mandationem & bibitionem Sa-  
cramentalem à Spirituali. Ergo significatio metaphorica  
non habet locum in verbis Cœnæ substantialibus, Edite  
& Bibite.

#### IV.

**XXIII.** Non solum digni, verum etiam  
indigni in usu Cœnæ Dominicæ accipiunt,  
substantialia Sacramenti nempe verum cor-  
pus Sacramentaliter sub pane, & verum san-  
guinem Sacramentaliter sub vino.

**XXIV.** Ut autem positionis nostræ veritas stet inviola-  
ta, ante omnia notandum, quinam propriè hoc in loco in-  
digni nominentur. Cave autem dixeris nomine indigne-  
rum intelligi infirmos, in fide : Nam fidei ipsorum ( infir-  
morum ) confirmandæ ergo Cœna instituta est ; Non n.  
qui validi, opus habent Medico, sed infirmi Matt.  
9, 12. Verum indigni hoc loco sunt & dicuntur Impæni-  
tentes

tentes & Hypocritæ, qui nec peccata sua cum dolore agnoscunt: nec veram fidem habent in Christum: nec propositum emendandi mores; sed ne Athei habeantur, aut excommunicentur, pœnitentiam simulant, & pretextu nominis & obedientiæ Christianæ veniunt ad Cœnam Domini, sed sumunt ad judicium, & rei sunt corporis & sanguinis Domini.

XXV. Porro quando posuimus Indignos manducare corpus CHRISTI de perceptione fide seu manducatione, Spirituali minime illud intellectum volumus: banc enim nemo impiis seu indignis tribuit, sed de Sacramentali manducatione, quæ omnibus sacræ Cœnæ hospitibus communis est & indigne manducantibus in judicium cedit, nobis hic sermo est; His ita positis, sententiam nostram sequentibus probamus.

XXVI. 1. Ob expressam Apostoli Pauli assertionem. Apostolus enim exerte scribit indignos reos fieri [non symbolorum panis & vini, sed] corporis & sanguinis CHRISTI 1. Cor. 11. v. 27, 29. verba ita habent: Si quis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Qui autem edit & bibit indigne judicium sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini. Unde sic argumentamur: Quicunq; manducando de pane benedicto, & bibendo de calice benedicto, rei sunt corporis & sanguinis Christi, illi revera corporis atq; sanguinis Christi sunt participes. At qui indigni manducando de pane, & bibendo de calice benedicto rei sunt corporis atq; sanguinis Christi. Ergo indigni revera corporis atq; sanguinis Christi sunt participes!

XXVII. 2. Ob integri Sacramenti participationem,

tionem. Sacramentum enim Cœnæ constat non solum pane, & vino, sed etiam corpore, & sanguine Christi, ita ut Sacramentalis unio intercedat pani & vino, corpori & sanguine Christi. Hinc argumentamur: Quicunq; percipiunt integrum Sacramentum Eucharisticum, illi non solum panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi percipiunt. Ratio consequentia ex ante positis patet. At qui indigni percipiunt integrum Sacramentum Eucharisticum fatentibus ipsis adversariis. Ergo indigni percipiunt non solum panem sed & corpus Christi Sacramentaliter eidem unitum, non solum vinum, sed & sanguinem Christi itidem Sacramentaliter ei unitum.

XXIX. 3. Ob Absurdorum enumerationem. Opinio enim Calvinistica de indignorum manducatione multas parit absurditates, quod breviter ita demonstramus: Si Sacra Domini Cœna digne sumenti est Sacramentum, indigne vero sumenti non est Cœna Domini; sequitur fidem utentis constitutre Sacramenti substantiam; & contra incredulitatem evertendam. At Calvinianis Sacra Domini Cœna est Sacramentum digne sumenti: Indigne sumenti non est Cœna Domini. Ergo fides facit Sacramentum, seu Cœnam Domini, & incredulitas destruit. Conclusio est absurda: Quia Sacramenti integritas & substantia non dependet à fide sumentis, sed à veritate instituentis: Fides facit quidē ut sit salutaris Cœna: sed ut sit Sacramentum hoc non facit. Abusus rei non tollit rem, sed presupponit rem. Verbum Dei nihilominus est verbum Dei, etiamsi quis ei non credat, nec propterea definit esse verbum Dei. Ergo & alterutra propositio absurda erit. Non major: si enim Cœna Domini non est Cœna Domini vel Sacramentum quia non credit, esset autem si crederet, sequitur quod fides faciat Sacramentum, & incredulitas destruat. Ergo minor quæ est Calvinianorum falsa erit.

XXIX. Plures hic adversariorum absurditates imò Contradiciones addere possemus, nisi chartarum obstaret angustia, eas igitur alio tempori reservantes, tractationem nostram finimus.

SOLI DEO GLORIA.





# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Light Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	Grey	Light Grey	Medium Grey	Dark Grey	Black
------	------------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------	------	------------	-------------	-----------	-------

